

DE OFFICIO PRAEFECTI URBIS.

1.28.1

Impp. Valentinianus et Valens AA. ad Volusianum pu.

Studentibus nobis statum urbis et annonariam rationem aliquando firmare in animo subiit eiusdem annonae curam non omnibus deferre potestatibus, ac ne praefectura urbis abrogatum sibi aliquid putaret, si totum ad officium annonarium redundasset eidem praefecturae sollicitudinis ac diligentiae necessitatem mandamus, sed non ita, ut lateat officium annonariae praefecturae, sed ut ambae potestates, in quantum sibi negotii est, tueantur civilem annonam sitque societas muneris ita, ut inferior gradus meritum superioris agnoscat atque ita superior potestas se exserat, ut sciat ex ipso nomine, quid praefecto debeatur annonae.

D. II non. April. Mediolani Valentiniano et Valente AA. II cons. [a. 368]

1.28.2

Idem AA. ad Ampelium pu.

Quod promulgatis sanctionibus tua sinceritas perscriptum esse non nescit, etiam ex praecepto nostro competenter observet nec quasdam personas de provincia existimet avocandas nisi tantummodo suos officiales et homines populares huius almae urbis seditioni obnoxios.

[a. 371 - 372]

1.28.3

Imppp. Valens Gratianus et Valentinianus AAA. ad Rufinum pu.

Praefectura urbis cunctis quae intra urbem sunt antecellat potestatibus, tantum ex omnium parte delibans, quantum sine iniuria ac detrimento alieni honoris usurpet.

D. III id. Iul. Valente A. V et Valentiniano iun. cons. [a. 376]